

D. IOHANNIS TRITHEM. ABBATIS SPANHEIMEN-
in vitam D. Nicolai Abbatis Panormitani, Compendium ex eius
tractatu de Scriptoribus Ecclesiasticis.



NICOLAUS Siculus, Abbas Monacen. ordinis Sancti Benedicti, ex Catha-
nia urbe oriundus, dictus de Tudeschis, primo auditor causarum Domini Pa-
pa & Rota, postea Panormitanus Archiepiscopus, & demum sacrosancta eccle-
sia Romana Cardinalis, Jureconsultus omnium celeberrimus, ingenio subtilis &
acutus, consilio promptus & firmus, sermone apertus & compositus, qui merito lucerna iuris
appellatur: scripsit multa praeclara volumina, quibus nomen suum posteris notificavit, de qui-
bus subiecta feruntur.

Super Decreto imperfectum lib. 1.

Super Decretalibus lib. 5. Quoniam omnis ratio superne

Super Clementinis lib. 1.

Pro concilio Basileensi lib. 1. Quoniam veritas verborum

Processus iudicialis lib. 1. Rex pacificus cunctorum

Consilia centum quatuor lib. 1. Facti contingentia talis est

Disputationes varia lib. 1.

Et alia complura.

Claruit in concilio Basileensi personaliter, anno Domini 1435. Et pro autoritate ipsius concilii, coram principibus in FrancKfordia praesatum tractatum publice legit, & elegantem orationem ibidem habuit.

D. MARCI MANTVAE BENAVIDII I. C. PAT.
in eiusdem Nicolai Abbatis testimonium ex Epitome
virorum illustrium, ab ipso edito.



ABBAS Panormitanus, alias Nicolaus Siculus vir praestantissimus fuit, quo tem-
pore floruerit, quaque monumenta reliquerit, in eius vita apud alios legi potest,
estque notum omnibus, id tamen silentio haud inuoluendum putavi, quod Fran-
ciscum Zabarellam Florentinum Cardinalem habuit praeceptorem, quem ipse
honorifice citat, in rubr. de iudi. in c. 1. col. 2. de cau. poss. & propriet. & in c. potuit. in fi. de loca. &
consi. 102 incip. circa. col. 1. volu. 2. & in disputatione incip. Titius, col. 9. quodque legit Senis, ut
colligitur ex dictis eiusdem, in c. dilectus, de seq. poss. & fruc. & in c. decernimus, in fi. de iudic. &
in c. fi. col. 12. de foro competen. & in c. 1. col. 6. de lit. contest. & in c. quoniam Abbas, col. 2. de offic.
deleg. & in c. ecclesia S. Mariae, col. 6. de constit. & in cap. fi. ad fi. de sur. legit etiam Parmae annos
sex, ut testatur in d. cap. 1. col. 4. de lit. contest. & Abbas dicitur per excellentiam, quia est nomen
dignitatis, etiam quod huiusmodi esset, & quia equiparatur Episcopo, qui est dignitatis cul-
men, ut per Archidiaconum in c. licet, de praben. in 6. Milis in 8. dignitas, versi. tertio. Et quia Abbas
idem est quod pater, ex quo lingua Syra abbanil aliud significat.